

DE PAGANIS SACRIFICIIS ET TEMPLIS.

1.11.1

Imp. Constantius A. ad Taurum pp.

Placuit omnibus locis atque urbibus universis claudi protinus templa et accessu vetito omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari.

1 ¶ Volumus etiam cunctos sacrificiis abstinere.

2 ¶ Quod si quis aliquid forte huiusmodi perpetraverit, gladio ultiore sternatur, facultates etiam perempti fisco decernimus vindicari et similiter puniri rectores provinciarum, si facinora vindicare neglexerint.

D. k. Dec. Constantio A. VII et Constante III cons.

[a. 354]

1.11.2

Impp. Gratianus Valentinianus et Theodosius AAA. Cynegio pp.

Ne quis mortalium ita faciendi sacrificii sumat audaciam, ut inspectione iecoris extorumque praesagio vanae spem promissionis accipiat vel, quod est deterius, futura sub exsecrabili consultatione cognoscat, acerbioris etenim imminebit supplicii cruciatus eis, qui contra vetitum praesentium vel futurarum rerum explorare temptaverint veritatem.

D. VIII k. Iun. Constantinopoli Arcadio A et Bautone cons. [a. 385]

1.11.3

Impp. Arcadius et Honorius AA. Macrobio et Procliano vicario.

Sicut sacrificia prohibemus, ita volumus publicorum operum ornamenta servari, ac ne sibi aliqua auctoritate blandiantur, qui ea conantur evertere, si quod rescriptum, si qua lex forte praetenditur: abreptae huiusmodi chartae ex eorum manibus ad nostram scientiam referantur.

D. IIII k. Febr. Ravennae Theodoro cons.

[a. 399]

1.11.4

Idem AA. Apollodoro proconsuli Africae.

Ut profanos ritus iam salubri lege submovimus, ita festos conventus civium et communem omnium laetitiam non patimur submoveri, unde absque ullo sacrificio atque ulla superstitione damnabili exhiberi populo, voluptates secundum veterem consuetudinem, iniri etiam festa convivia, si quando exigunt publica vota, decernimus.

D. XIII k. Sept. Patavi Theodoro cons.

[a. 399]